

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS

DE

CHRISTIANISMO IMPERATORIS  
CONSTANTINI I. M.,

Quam

*Conf. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOH. BILMARK,*

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publice ventilandam offert:

*PETRUS J. ASPELIN,*

Smolandus.

*In Audit. Majori die 8 Jun. An. MDCCXCVIII,*

Horis a. m. consuētis.

---

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

DOMINO

*Mag. PETRO JONÆ  
WICKELGREN,*

Pastori & Præposito in Sjösås, Dref & Hornaryd,

Longe Meritissimo

Avunculo Optimo,

SACRUM.



## PRÆFATIO.

**E**am esse ingenii humani indolem experimur, ut licet quisque fere suis delectetur opinionibus, aliorum tamen scita, si sibi placeant & in suam converti possint rem, non raro approbet; unde sicut corporum, ita quoque animorum sæpe existit contagio. Cujus rei luculenta imprimis se produnt indicia, duabus religionibus in civitatem quandam admissis, una ab altera sensim mutuante, quod in sui commendationem vergere putetur. Qualem religionis generatim spectatæ circa orientem lucis Christianæ auroram fuisse conditionem, ex Historia discimus Ecclesiastica; nam & illi, qui Christianæ Religionis Sacris se initiari sunt passi, non omne tamen paganismi fermentum abjecerunt; nec illi, qui gentilismo adhærebant, Christiana Sacra prorsus averfabantur; quo factum est modo, ut mixtura quædam Religionum animos multorum hominum tenebrosâ ista fascinaret tempestate. Causas illius has fuisse præcipuas invenimus, quod pagani suam superstitionem, Religionis enim nomen nequaquam meretur, laciniis e purpura Religionis Christianæ avulsis, exornaverint, ne illius turpitude omnium animos perstringeret, quippe quæ tanta tunc fuit, ut sine adscito quodam fuce non posset non publico excipi risu; juxta tamen avitum, quoad fieri potuit, retinebant cultum, persuasi, ejus abrogationem bilem populi rudis & ad seditionem nimis proni fore commoturam. Ab altera vero parte insignis primorum Christianorum pietas, integritas vitæ plane eximia,

A

fides

fides in negotiis maxime dubiis minime dubia, nec non horrenda, quæ hitari animo perferebant, supplicia effecerunt, ut de horum Religione præsumerent pagani, virtutem ei inesse Divinam, & illam proinde non esse penitus eliminandam. Contra ea animos multorum Christianorum suspensos tenuerunt cum antiquitas paganismi, a majoribus suis ad se delati, tum imprimis religiosæ ceremoniæ, quibus adsueverant, & quibus sensus eorum blande adeo pascebantur, ut in Religionis suæ indolem studio, quo par fuit, non inquirerent. Atque geminam hanc faciem nobis obvertit cultus DEI publicus, qui tempore Imperatoris CONSTANTINI MAGNI (a) viguit; de cuius proinde Christianismo, a Scriptoribus partim laudato, partim culpato, nonnulla in hac opella pro modulo virium, imperata prius Benevoli Lectoris æquanimitate, differemus.

(a) Titulus *Magni* Imperatori huic sine dubio a Christianis fuit tributus, quod eos magis, quam fecerant antecessores, protegeret.

## §. I.

Quum Religio sit præcipue animæ nostræ opus, & nemo ignoret, miros omnino esse mentis humanæ recessus, adeo ut quo magis penetrare in illos annimus, eo magis illa refugiat & nostris se ausibus quasi subducatur, difficile admodum est, de Religione, cui hic vel ille est reapse addictus, accuratum & probum ferre iudicium. At tamen sicut præsentiam ignis, non visi, prodit calor corporum contrectatorum; ita latentes animæ propensiones ac dispositiones ab externis cognoscuntur plerumque actionibus; ex quibus criteria cum virtutum generatim, tum speciatim Religionis colligere licet. Qui Religione præferimus

fertim Christiana probe est imbutus, is nec vult nec potest eam, quam intra se experitur, in DEO & sincero Eius cultu acquiescentiam ac venerationem DEO debitam ita comprimere, quin utraque in DEI gloriam & Christi Salvatoris reverentiam ob præstitum Redentionis opus se explicet. Contra ea apud quem vel nulla vel ambigua animadvertitur DEI Triunius cognitio, de eo non vane præsumimus, eum vel nullo veræ Religionis sensu esse affectum, vel hanc subordinate alii cuidam in se dominantii passioni. Si quis igitur doctrinam Christi, vel ob simplicitatem, in se utiquè augustam, vel ob alias rationes parum meditetur, si religionem hanc multum quidem laudet, sed sibi tamen iterum iterumque permittat executionem flagitiorum, sanctissimis illius præceptis contrariorum, imprimis si Sacramentis novi Testamenti, quæ novit esse symbola, quibus veri distinguuntur Christi asselæ, eo, quo ex mandato DEI fieri debet, non fruatur modo, sed Religionem cum Ratione status conjungere studeat; de hujus Christianismo non præter rem dubitatur. Esto quoque, ut quis in ordinem Ecclesiasticum insignia conferat beneficia, templa vel nova exstruat vel vetera exornet, multisque aliis in cultum DEI publicum meritis suam ostendat probitatem; hinc tamen concludere non licet, illum religioni, cui ita favet, totum esse addictum; beneficiis animum quidem liberalem, non item Christiana religione plene imbutum, probantibus.

§: II.

Hisce præmissis progredimur, relationem vitæ factorumque Imperatoris CONSTANTINI I. ad Christianismum expensuri. Natus fuit Constantinus An Ch. 274 Naissi, Mœsiæ urbe, ut probatissimi censent Historici, Patre CONSTANTIO CHLORO, postmodum Imperatore facto,

& matre HELENA, cujus dubium est genus; ideoque Patrum Ecclesiæ nonnulli sunt opinati, eam non legitimam Constantii thalami sociam, sed concubinam fuisse (a); a quibus tamen alii Scriptores non præter rem dissentiunt. Quicquid hujus sit controversiæ, certum est, Constantium amore non majori suam amplexum fuisse conjugem, quam ut eam, ex qua filium sibi dilectissimum genuerat, repudiaret, secundis votis sibi concilians THEODORAM, Imperatoris MAXIMIANI privignam, faciliorem ad imperium hoc connubio sibi paraturus aditum. Quam multum Imperatorum Romanorum, furore cultus Idololatriæ correpti, totam Christi cohortem, si per eos steteret, extirpassent; probabile non est, Constantinum in spem imperii aliquando obtinendi succrescentem, Sacris Christianis in sua infancia fuisse initiatum, quamvis Pater quosdam eorum in sua domo, forte magis propter expertam in negotiis gerendis industriam ac probitatem, quam ob religionem, toleraret. Nec certis constat indiciis, matrem, quamdiu conjugii suo erat sociata, ab eo in religionis negotio defensisse. Notum præterea est, filios Illustrum Romanorum, quotquot optimam sortirentur educationem, in disciplinam Philosophorum Græcorum, quibus doctrina de Christo *μωσις* erat, traditos fuisse; adeoque præsumi non potest, Constantinum ineunte ætate ad Christianismum fuisse manuductum. Memoriam quidem prodit LACTANTIUS: *Suscepto imperio Constantinum Augustum nihil egisse prius, quam Christianos cultui ac DEO suo reddere, hanc fuisse primam ejus sanctionem sanctæ religionis restitutæ* (b). Sed quæ verba hoc tantum in recessu habere videntur, Constantinum persecutionibus, quæ in Christianos debacchata fuerant, finem imposuisse, & eos contra malefactorum insultus in religionis suæ exercitio clypeo auctoritatis Imperatoriæ texisse. Imperio confirmato longius est progressus, & templa Deorum clauderat. quidem, m. res.

vero, ritus & sacra ethnicorum tolerabat; & ne quid dissimulemus, Christianismum & paganismum inter se quasi æquilibrabat, cavens ne altera alteri in præjudicium status publici prævaleret.

(a) Vid. *Hjeronym. in Chronico* & *Ambrosii Orat. in Funus Theodosii*. (b) Vid. *Libr. de mortibus persecutorum* p. m. 710.

### §. III.

**Perginus**, visuri, quo se gessit modo **CONSTANTINUS**, adultior factus, & superioribus in imperio muneribus admotus, an sua facta vero Christianismo fuerint consentanea; quem in finem nonnulla eorum dabimus exempla. Quocirca non possumus non exhorrescere inhumanam crudelitatem, in duos Francorum Reges, *Ascarium* & *Ragisum*, qui ab ipso defecerant, exercitum, quos a se captos ferocissimis bestiis in Amphitheatro dilaniandos objecit (a). Longe vero atrocius fuit ejus facinus, quod duplici se cruentaverit parricidio; nam & filium **CRISPUM**, ut dignitate, ita virtute eminentem, ob injectam calumniam, quod novercæ **FAUSTÆ** pudicitiam sollicitasset, & paulo post hanc suam conjugem, adulteriæ suspectam, neutrius scelere examinato, horrendo mortis supplicio affici jussit (b); quæ sævitia a mansuetudine Christiana tantum abest, quantum potest longissime. Si quis autem in horum factorum excusationem adferret, Constantinum nimia indignatione accensum, modum iræ statuere non potuisse, atramentum alio constato facto, eum Christianismo non fuisse sincere addictum. Docent enim Scriptores, eum superatis barbaris, occidentale imperium desolaturis, ad locum pervenisse, in quo magnificentum Apollini dicatum templum erat constructum, atque in illo

victimas huic numini, quod præcipue colebat, ut victoriæ reportatæ Auctori, immolasse (c).

(a) Vid. *EUMENII Panegy. Cap. XXI.* (b) Vid. *EUTROPII Histor. Rom. Lib. 10 & 12* (c) Vid. *Gregor. NAZIANZENI Panegy. Cap. XVI & XVII.*

§. IV.

Factis hisce Constantini haud obscure probantibus, eum paganismi præstigias nondum fuisse eluctatum, opponet forte quispiam, alia tamen adesse indicia, ostendentia, Imperatorem hunc fuisse DEO acceptum, & proinde etjam Christi asseclam. Narrant scilicet Scriptores non pauci, Constantinum M. gravissimo contra Maxentium bello implicatum, ac multa proinde animi sollicitudine agitatum, in cælo admodum sereno, statim post meridiem, dum suas ipse duxit copias, in orientali mundi plaga fulgentem Crucem conspexisse, eique circumscriptam epigraphen: *Εν τῆτω κῆρσ*, id est, *in hoc vinces*; quibus addunt, Christum Salvatorem insequente nocte in somnio ei apparuisse, simulque ei præcepisse, ut talem, qualem viderat, crucem curaret conficiendam, atque hoc *Labaro* pro Insigni in præliis uteretur, addito elogio, quod ejus auspiciis victoriam a suis reportaret hostibus. Et ne quis forte hanc apparitionem & Divinam promissionem in dubium vocaret, EUSEBIUS, Episcopus Cæsariensis, refert, Imperatorem coram se jurejurando adfirmasse, hoc ita reapse contigisse (a). Ex quibus hanc nectunt conclusionem, tantum gratiæ Divinæ documentum Constantino M., nisi fidem amplexus fuerat Christianam, non contigisse. Enimvero de illustri hoc phænomeno multum in utramque partem disputant Eruditi, quorum nonnulli, illud admittentes, halonem tantummodo fuisse opinantur,

cæ-



teraque imaginationi deberi, præsertim quum multas res  
 cernere sibi videantur homines, animis eorum gravi ter-  
 rore perculsis. Alii rursus existimant, commenticiam hanc  
 fuisse apparitionem, & pro stratagemate Politico habendam,  
 a Constantino M. excogitatam, & publice venditam,  
 ut alacriores redderet militum suorum animos ad  
 instans prælium; præsertim quum EUSEBIUS modo me-  
 moratus in Historia Ecclesiastica nullam cælestis hujus si-  
 gni faciat mentionem; quod vero in vita Constantini re-  
 fert, non tamen ut rem omnibus notam, sed ut arcanum  
 sibi ab Imperatore revelatum. Et si Imperator & suæ co-  
 piæ hanc cælestem Crucem conspexissent, ineptias sapit,  
 quod jurejurando confirmaret factum, tot consciis testi-  
 bus adhuc vivis ac præsentibus, illud confirmantibus (b).  
 Quibus addimus, quum DEUS antiquissimis temporibus  
 non solum fidelibus & Christianis, sed horum quoque  
 persecutoribus se nonnunquam manifestaverit, & qui-  
 dem tam in somnio, quam pleno die, sicut vel exemplo  
 infidelis Saulis, postmodum fidelissimi Apostoli PAULI,  
 constat; dictam apparitionem, si vera fuerit, sufficienter  
 non probare, Constantinum M. Christianam fidem tunc  
 fuisse amplexum.

(a) Vid. *Vita Constantini Lib. I. Cap. XXII.* (b) De hac  
 controversia pluribus disserit Mr Le BEAU dans l'*Histoire  
 du Bas Empire Tom. I. p. 142 seq.*

§. V.

Enimvero sive occasione crueis, in cælo visæ, sive  
 metu gravissimi ab imperii æmulo MAXENTIO sibi im-  
 minentis periculi, sive diffidentia auxilii ab avitis numini-  
 bus impetrandi, sive etiam animum ob commissa flagitia  
 faucium levaturus, variant enim in hisce momentis Scri-  
 ptores,

ptores, Christianismo se applicuerit CONSTANTINUS M, hinc tamen non conficitur, eum de veritate novæ Religionis fuisse convictum. Quod inde Iuculenter apparet, quia in hoc rerum suarum articulo Doctores Christianos, ad pleniorē Christianismi noticiam se manu-cturos, ad se vocavit (a); quinam autem hi fuerint, & quantum ab eorum institutione profecerit, non constat. Attamen quum illi non ab elementaribus Religionis Salvificæ capitibus suum inceperint opus, sed mytheria fidei maxime sublimia, ex, gr. de divina Christi Natura, & hujus incarnatione &c. discipulo suo credenda proponerent (a); eum magis credulum, quam probum reddere stuerunt Christianum; quare etiam non tam propter sinceram pietatem, quam propter venerationem & beneficia præcipue Clericis, quo nomine Ecclesiæ ministri eo tempore insigniri voluerunt, præstita laudatur. Quicumque autem cogitaverit Hierarchiæ studium, quo antistites istius tempestatis tenebantur, præsumere potest, Imperatoris manu-ductores suam in hujus conversione magis, quam Religionis Christianæ egisse causam, & Constantinum M. proinde non sincera, sed figmentis humanis interpolata religione fuisse imbutum.

(a) Vid. *Libr. Mr Le BEAU modo citat. p. 153 & seq.*

## §. VI.

Quamvis vero multis benevolentia ac liberalitatis documentis suum in Christianos favorem saepe declararet Constantinus M, illorum oppressionem & horrendas in eos persecuciones impediens, nec non nova eis templa extruens, extructaque magnifice exornans, paganismum tamen, cui major ac præstantior civium suorum pars fuit addicta, retinuit, fovitque. ca

ca Christianis tradebat, ut in illis cultum veri Numinis publice exercerent, statuas vero, imagines aliaque monumenta & ornamenta relinquebat intacta, & hac ratione Christianos aduefaciebat in religionis suæ exercitio cæremoniis uti, ab ethnicis receptis. Nec dedignatus est titulum & habitum Pontificis Maximi, a sacrificulis paganis sibi oblatum asumere, Præsidemque Sacrorum gentilium agere (a), usum aruspicum & multas gentilium superstitiones tolerans. *Et patriis, scribit ZOSIMUS, adhuc sacris utebatur Constantinus, non tam honorum causa, quam necessitatis; quo fiebat, ut & hariolis, si qui essent experientes, fidem haberet, veluti qui vera ei de rebus omnibus, feliciter gestis, prædixissent* (b). Attamen ne quid sinistri hinc ominarentur Christiani, celebrationem Ludorum secularium non sine magna ethnicorum indignatione intermisit; unde concludere licet, eum in religionis negotio te magis ut callidum Politicum, quam verum gestisse Christianum.

- (a) Vid. ZOSIMI *Hist. Imp. Libr. IV. Cap. 36.* (b)  
Vid. *Aust. modo cit. Libr. II. Cap. 29.*

## §. VII.

Neque hoc loco erit silentio prætereundum, quod in vita CONSTANTINI memoriæ prodit EUSEBIUS (a), scilicet Imperatorem hunc formulam precationis, quavis die Solis recitandam, suis præscripsisse legionibus, cujus summam huc rediisse; *vellet DEUS Imperatorem cum piis suis liberis quam diutissime saluum & victorem conservare.* Sed ne verbo quidem mentionem facit Salvatoris nostri Christi, quod procul dubio fecisset, si de persona & officio Ejus plene fuisset convictus. Et nisi valde fallimur, præcipua Christianismi sui pars in eo consistebat, quod

B

crucis

crucis signo eximiam tribueret virtutem, idem armis tamquam salutare signum insculpendum, & exercitui in acie præferendum curans, ceu ex eodem EUSEBIO colligi potest.

(a) Vid. *EUSEBII Vita Constantini Libr. IV. Cap. 30.*

### §. VIII.

Dispiciamus porro, qua ratione CONSTANTINUS M. Zelum pro Religione Christiana in Concilio Nicæno I. quod An. Ch. 325 habebatur, & in quo causa Christianismi maxime agebatur, declaraverit. Occasionem huic Concilio dedit Sacerdos Alexandrinus, ARIUS, qui quum vacantem in hac urbe Episcopatum, quem desiderabat, impetrare non potuisset, & Episcopus ALEXANDER suos inter alia docuisset auditores, Christum ὁμοούσιον esse DEO Patri, ei publice objicere non dubitavit, hunc fuisse Sabellii, Personas Divinitatis plane confundentis, errorem, ante sexaginta exinde annos ab ecclesia Christiana condemnatum. Quum doctrina etiam & eloquio polleret Arius, pro se suaque causa ita fecit verba, ut plures non solum ex simplicium hominum classe, sed ex Prælatorum quoque ordine ad suas accederent partes. Quid? Quod duo EUSEBII, Episcopus alter Nicomedienfis, alter Cæsariensis, & quorum ut rque gratia apud Constantinum M. valuit, Arii placita omni defenderent studio. Ubi in concionem Episcoporum, qui ad hanc Synodum undique confluxerant, venit Imperator, orationem quidem pro more suo ad eos habuit; nihil tamen de controversia, quæ Concilio isti dedissent occasionem, locutus, omnes solummodo ac singulos hortabatur, ut depositis, quibus multi distinebantur, contentionibus, ad pacem & concordiam in Ecclesiam reducendam se accingerent.

rent. Verum quidem est, quod doctrinæ Arianae condemnationem, ab Episcopis factam, confirmaverit, & eidem nihilofecius pertinaciter adhærentes, muneribus suis privatos, in exilium ejecerit; an vero hoc amore Religionis Christianæ, per suam indolem a persecutione abhorrentis, an magis studio pacis publicæ, aliter non obtinendæ, fecerit, res videtur ambigua. Profecto factis magis, quam animo ab Arii placitis alienum fuisse Imperatorem vel exinde colligi potest, quod interjecto tempore, hortatu Sororis suæ CONSTANTIÆ, quæ Imperatori LICINIO fuerat nupta, commotus, & Arium & Eusebium aliosque exules ad se revocaverit, eosque postquam Concilii decretis subscripsissent, in suam receperit amicitiam, Ario tamen in hanc gratiam, quod eidem resisteret Episcopus ATHANASIUS, statim non admisso. Quantum re ipsa ad convellendum Arianismum, Christianismo plane adversum, in concilio hoc Oecumenico contulerit Imperator, reticent Scriptores; laudatur quidem ab EUSEBIO, quod magnifico convivio, cui inesse, ipse haud fuit dedignatus, convocatos Episcopos & Sacerdotes exceperit, eosque magnis ornatos muneribus, domum remiserit (a); quæ tamen facta animum Christiana plene imbutum religione non probant.

(a) *In vita Constantini Libr. III. Cap. XIV. & XV.*

§. IX.

Familiare a longo retro tempore, fuit Papicolarum quorundam placitum: quod quicquid Clericis & Templis largirentur homines, in Religionis Christianæ commodum vergeret; quare etiam argumentum pro asserendo Imperatoris CONSTANTINI M. Christianismo sum-

eum fuit ab insigni donatione, quam sedi Pontificis Romani concessit. Perhibent nimirum Constantinum, gravi laborantem lepra, quam aliud reconvalescendi medium, quam ut Baptismi Lavacro tingeretur, ei non suppeteret, a Pontifice R. SYLVESTRO I voti ac sanitatis compotem factum, huic in animi grati testificationem donasse Palatium Lateranense, & multas præterea Italiae provincias. Enimvero quum hæc bona non essent in Patrimonio Constantini, sed partem Imperii Occidentalis constituerent, & tam ipse, quam sui successores per longam seculorum seriem hæc possiderent terras, quibus accedit, Constantinum nec Romæ nec a Sylvestro fuisse baptizatum; sequitur, argumentum hoc respectu religionis Constantini nullius esse momenti. Qua in re nobis consentientem habemus Mr LE BEAU: *La lepre du Constantin & les fables qu'elle amène, le baptême donné dans Rome à ce Prince avant le Concile de Nicée par le Pape Sylvestre, sa guérison miraculeuse, ne trouvent plus de croyance que dans l'esprit de ceux, qui s'obstinent à défendre la donation de Constantin, pour le soutien de la quelle ce Roman a été inventé* (a).

(a) Vid. *Libr. supra citat. p. 615.*

### §. X.

Denique quum Baptismo, ut Sacramento, veri Christiani ab infidelibus distinguantur; quis homini non Baptizato Christianismum recte tribueret? De Constantino M. igitur quum constet, eum baptismi Lavacro in exitu demum vitæ initiari voluisse; dubium manet, an Christianismus ejus fuerit verus, vel ad technas Politicas sit referendus (a). In excusationem actus baptismalis tam diu intermissi, adfertur quidem, quod in flumine Jordane ad  
exem-

exemplum Christi baptizari propositum sibi habuerit, sed quum eam non fugeret, dignitatem hujus Sacramenti a loco, in quo administratur, non dependere; præsumere licet, vel eum fuisse incertum de religione amplectenda, vel suspensos tenuisse suos cives de religione, cui ex animo esset addictus. Quibus addimus, quod sicut Sacerdoti illi, Arianismi partibus addito, quem sua sibi commendaverat Soror, præcipuam haberet fidem, ei acta maximi momenti in mortis articulo committens; probabile sit, eum ab Arianismi fermento non fuisse alienum. (b); præsertim quum in Oratione sua Cygnæa, ad circumstantes habita amicos, ne verbo quidem mentionem fecerit Salvatoris nostri Christi aut fiduciæ, quam in Ejus merito poneret.

- (a) Baptismum ad finem vitæ non solus distulit Constantinus M; quem morem tenuerunt non tantum Imperatores, sed ipsi etjam Ecclesiæ Patrum quidam, Ambrosius, Augustinus, aliique, quos, antequam baptizarentur, Conciliis ac mysteriis interluisse legimus. Imo de nostris constat Majoribus, eorum non paucos perceptionem baptismi ad finem usque vitæ distulisse, ut lavacro salutari purificati, regnum cælorum intrarent immaculati, vid. *LINDENBROGII Histor. Eccles. Septemtrional. Scriptores p. m. 41 & Andr. ESSE Dissertat. de Mortuis in Hvita-vadum Upsal hab. (b), HÆRONYMUS in Chronico refert*, Constantinum in extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio, Nicomediensi Episcopo, fuisse baptizatum, eumque in Arianorum dogma inclinasse.

